

R. 1386.

Przywilej od Króla Władysława Jagiełły Kniaziowi Fiedorowi Daniłowiczowi na Ostrogę ze wszystkimi przyległościami, pod warunkiem służenia tak Królowi i Koronie polskiej z ludźmi swymi, jak przedtém Xiążęciu Lubartowi Włodzimierskiemu służył.



IN NOMINE Domini Amen. Wladislaus Dei gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracoviae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciae, Cujaviae, Lithuaniae Princeps supremus, Pomeraniae Russiaeque Dominus et haeres et cet. Ad perpetuam rei memoriam. Qnamquam Regalis dignitatis circumspecta benignitas, de suae liberalitatis munificentia universorum ex officio debito subditorum, quadam generalitate dignetur utilitati intendere, et ea quae grata ipsorum commoda censeantur, efficere consideratione gratiosa perpendat; ad illorum autem procuranda utilitatum commoda, quodam singulari favore uberioris inclinatur, quos intemeratae fidei, firmae constantiae, et intemerati laboris diuturnitas, claris testimoniiis recomendant. Sane considerantes, clarae fidei studia et laboris indefessi sollertia, quibus Illustris Princeps Dominus Pheodor et sui progenitores duces Ostrogienses Majestatem nostram et praedecessores nostros Duces Lithuaniae et Russiae sunt haec tenus venerati, et adhuc idem Dominus Pheodor fideles nobis exhibere nititur famulatus, quorum intuitu ipsum specialis favoris praerogativa prosequi cupientes, ei-

dem Domino Pheodor suis haeredibus et successoribus legitimis damus et conferimus plenam et omnimodam facultatem castrum ipsius Ostrogow cum districtu ostrogoviensi ad ipsum castrum Ostrogow pertinenti, habendi, tenendi, utifruendi et perpetue possidendi, constituentes et efficientes supradictum Dominum Pheodor, suos haeredes et successores legitimos, suprascripti castri et districtus ad ipsum castrum pertinentis, veros et legitimos haeredes et dominos, ac perpetuos possessores, tali tamen interposita conditione: quod dictus D. Pheodor, sui haeredes ac successores legitimi, cum ipsorum hominibus, quos habent, vel habere poterint Majestati nostrae, nostris successoribus ac Coronae ipsius Regni Poloniae, famulatus et servitia exhibere sint adstricti eo modo et conditione: quibus dictus D. Pheodor Illustri Principi olim Domino Lubardo Duci Włodimiriensi patruo nostro carissimo, ab antiquo dinoscitur servivisse. Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Actum Lucko die Dominica infra octavam omnium Sanctorum, Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo sexto. Praesentibus: Joanne Palatino Sandomiriensi, Petro Rmita Lublinensi, Cristino de Kozległowy Sandecensi Castellanis, Włodkone pincerna, Spytkone subcamerario et Tomkone de Wangleszczyno subpincerna Cracoviensibus et aliis multis nostris fidelibus fide dignis. Datum per manus venerabilis viri Domini Zaklikae praepositi Sandomiriensis, Aulae nostrae Cancellarii fidelis dilecti (1).

(1) Przywiléj ten, potwierdzony przez Augusta III za Wodzickiego Podkancelzrza Koronnego 1762 r., znajduje się w Archiwum X. Maxymiliana Jabłonowskiego w Krzewinie.